



ANNO ÆTATIS SVÆ LXIX.

IN EFFIGIEM D. IOAN. SCHÖNERI,
PHIL. MEL. CARMEN.

Astorum motus, & fata regentia mundum
 Qui norunt, multos Francica terra tulit.
 Hesperus at quanto quàm cætera sidera fulget
 Splendidior, uultus Sole tegente suos:
 Tantum præ reliquis caput extulit unus & alter,
 Secula uix maius prisca tulere decus.
 Regius, alter erat cui mons cognominis usum
 Et natale solum primaq; tecta dedit.
 Qui procul Ausonia decessit in urbe Ioannes,
 Artis ibi specimen cum daret ipse suæ.
 Alter ab hoc uixit Schönerus laudibus artis
 Non tamen inferior, quàm fuit ille, suæ
 Nostra quoq; his ducibus peragrarunt lumina cælum,
 Barbarico fuerant quæ uiciata luto.
 Utq; ferè extinctam reuocauit uterq; Mathesin,
 Sic tantum peperit laudis uterq; sibi.
 Terra tibi quantum Bœotica fortis Orion,
 Et Lybica Atlanti debuit ora suo
 Hæc uero uultus Schöneri monstrat imago
 Ingenium libris exprimit ipse suis.